

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Cornelius Nepos perperam vulgo Aemilius Probvs dictus,  
De Vita Excellentivm Imperatorvm**

**Nepos, Cornelius**

**Lipsiae, MDCCXIV**

**VD18 12591890**

XIV. Datames.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16472**

nienium, Iphicratis, Chabriae, Timothei: neque post illorum obitum quisquam dux in illa vrbe fuit dignus memoria.

## XIV.

## D A T A M E S.

## ARGUMENTVM.

1. Datames barbarorum facile clarissimus, e custodibus regiae Artaxerxis, bello contra Cadusios, paternam prouinciam, Ciliciae partem, meruit, 2. Persequens, qui defecerant a rege, Thyum verbis reducturus, quod insidiis appetebatur, viuum caput, 3. & regio ornatum cultu, ipse venatorio habitu, ut feram ad regem adducit, qui facto delectatus, copius contra Aegyptios ducendis praeficit: 4. renocatus Aspim Cappadocem capit, 5. qua celeritate ut regis fauorem, ita inuidiam aulicorum exceptit, quorum insidias edoctus a gazae custode, Cappadociam sibi & Paphlagoniam occupat. 6. Filium in Pisidas missum amittit, quos sciri perfidiam ulius, etiam superauit. 7. Proditus a filio, Autophradatem contra se missum, 8. parva manu vincit, iuvante loci natura, 9. Rex eum insidiis petit, quas ille callide declinat. Tandem dolo Mithridatis deceptus, 10. in colloquio perfidiose occiditur.

**I** VENIO nunc ad fortissimum virum <sup>1</sup> maximi-  
que consilii, <sup>2</sup> omnium <sup>3</sup> barbarorum: ex-  
ceptis duobus Carthaginensibus, Hamilcare &  
Hannibale, de quo <sup>4</sup> hoc plura <sup>5</sup> referemus:  
**2** quod & obscuriora sunt eius gesta pleraque, & ea,  
quae prospere ei <sup>6</sup> cesserunt, non <sup>7</sup> magnitudine

Cap. I. <sup>1</sup> maximi] scil. ducem.

<sup>2</sup> omnium] ex numero.

<sup>3</sup> barbarorum] qui non sunt Graeci. ad Miltiadens.

<sup>4</sup> hoc plura] desto mehr.

<sup>5</sup> referemus] erzählen werden.

<sup>6</sup> cesserunt] von statthen sind gegangen.

<sup>7</sup> magnitudine] ex.

copiarum,

copiarum, sed consilii, <sup>8</sup> quo tum omnes superabat, acciderunt. <sup>9</sup> quorum nisi <sup>10</sup> ratio explica-  
ta fuerit, res apparere non poterunt. Datames <sup>3</sup>  
<sup>11</sup> patre Camissare, natione <sup>12</sup> Care, matre Scy-  
thissa natus, primum militum <sup>13</sup> numero fuit  
apud <sup>14</sup> Artaxerxem, eorum qui <sup>15</sup> regiam tue-  
bantur: pater eius Camissares, quod & <sup>16</sup> manu  
fortis & bello <sup>17</sup> strenuus, & <sup>18</sup> regi multis locis  
fidelis erat repertus, habuit provinciam partem  
Ciliciae iuxta Cappadociam, <sup>19</sup> quam incolunt  
Leucosyri. Datames <sup>20</sup> militare munus fungens <sup>4</sup>  
primum, qualis esset, apparuit in bello, quod  
<sup>21</sup> rex aduersus <sup>22</sup> Cadusios gesit. namque hic  
multis millibus regiorum imperfectis, <sup>23</sup> magni  
fuit eius opera, quo factum est, ut cum in eo bel-

<sup>8</sup> quo ] in. <sup>9</sup> quorum ] gestorum.

<sup>10</sup> ratio ] art und weise. <sup>11</sup> patre ] a.

<sup>12</sup> Care ] qui ex Caria regione minoris Asiae oriundus erat. <sup>13</sup> numero ] in.

<sup>14</sup> Artaxerxem ] Persarum regem.

<sup>15</sup> regiam ] sc. domum vel arcem. Usurpatur autem ita substantiue.

<sup>16</sup> manu ] in. <sup>17</sup> bello ] in.

<sup>18</sup> regi ] Artaxerxi.

<sup>19</sup> quam incolunt Leucosyri ] Leucosyri antiquum nomen Cappadocum, postea parti illorum siue certae provinciae relictum. Plinius VI. 3 differminat eos Cappadoc amnis, a quo nomen traxere, antea Leucosyri dicti. Strabo XII. p. 373 μέχει Λευκοσύρων, ἐς τηγάνημεν Καππαδόκης περιταχορεύομεν.

<sup>20</sup> militare munus fungens ] singulare hoc est, nam fungor alias cum ablativo construitur: fungi munere.

<sup>21</sup> rex ] Persarum.

<sup>22</sup> Cadusios ] Mediae Atropatena populum iuxta Caspium mare. C. vid. Tab. I.

<sup>23</sup> magni ] pretii.

<sup>10</sup> cecidisset Camissares, paterna ei traderetur  
<sup>24</sup> prouincia.

II <sup>1</sup> Pari se virtute postea praebuit, cum Auto-  
phrdates iussu <sup>2</sup> regis bello persequeretur eos,  
qui defecerant. namque <sup>3</sup> eius opera hostes,  
cum <sup>4</sup> castra iam intrassent, profligati sunt, exer-  
citusque reliquus conseruatus <sup>5</sup> regis est, qua-  
<sup>2</sup> ex re maioribus rebus praeesse coepit. Erat eo  
tempore Thyus dynastes <sup>6</sup> Paphlagoniae, <sup>7</sup> anti-  
quo genere natus a <sup>8</sup> Pylaemene illo, quem Ho-  
merus Troico bello a Patroclo interfectum ait.  
<sup>3</sup> Is regi <sup>9</sup> dicto audiens non erat. quam ob caus-  
sam bello eum persequi constituit, eique rei pree-  
fecit Datamem <sup>10</sup> propinquum Paphlagonis.  
namque ex fratre & sorore erant nati. quam ob  
causam Datames omnia primum experiri voluit,  
ut sine armis propinquum <sup>11</sup> ad officium reduce-  
ret. Ad quem cum venisset sine praesidio, quod  
ab amico nullas vereretur insidias, paene interiit.  
nam Thyus eum clam interficere voluit. Erat

<sup>24</sup> prouincia ] vid. not. 19.

Cap. II. <sup>1</sup> pari ] i. e. in pari virtute conspicuum.

<sup>2</sup> regis ] Persarum. <sup>3</sup> eius ] Datamis.

<sup>4</sup> castra ] Persarum. <sup>5</sup> regis ] Artaxerxis.

<sup>6</sup> Paphlagoniae ] prouinciae septentrionalis in Asia  
minore. <sup>7</sup> antiquo ] ex.

<sup>8</sup> Pylaemene ] Pylaemenem Paphlagonas duxisse bello  
Troiano, auctor Homerus *Iliad. B. v. 811.* Hic vero non  
a Patroclo, sed a Menelao interfectus est; *Iliad. E. v.*  
*576. seq.* ut vel memoriae lapsus, in nostro sit, vel error  
scribarum. C.

<sup>9</sup> dicto audiens ] obediens.

<sup>10</sup> propinquum Paphlagonis ] cognatum Thyi, qui erat dy-  
nasta Paphlagoniae.

<sup>11</sup> ad officium reduceret ] zum vorigen gehorsam brachte.  
mater

mater cum Datame amita Paphlagonis. ea, quid ageretur, resciit filiumque monuit. Ille fuga <sup>5</sup> periculum euitavit, bellumque indixit Thyo. in quo cum ab Ariobarzane praefecto Lydiae & Ioniae totiusque Phrygiae <sup>12</sup> desertus esset, <sup>13</sup> nihil segnius perseuerauit, viuumque Thyum cepit cum uxore & liberis.

Cuius facti ne prius fama ad regem, quam III ipse perueniret, dedit operam. Itaque omnibus insciis, eo ubi erat rex, venit: posteroque die Thyum, hominem maximi corporis, terribilique facie, quod & niger & capillo longo, <sup>2</sup> barbaque erat promissa, optima veste texit, <sup>3</sup> quam satrapae regii gerere consueuerant, ornavitque etiam torque, & armillis aureis, ceteroque regio cultu. ipse agresti duplici amiculo <sup>2</sup> circumdatu, hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clauam, finistra copulam, qua vincitum ante se Thyum age-

<sup>12</sup> desertus ] sc. Datames.

<sup>13</sup> nihil segnius ] Hninius ad Ouid. II. Metam. v. 809 tam nostro, quam poetae & aliis reddi vult nihil feci. Verum nec nihil segnius malum, quo usi sunt Sallustius Iug. c. 75 nihil segnius bellum parare; & Liuius VII. 18, fin. Consules comitia nihil segnius perficiunt: Curtius IV. 6. 25 nec tamen segnius. C.

Cap. III. <sup>1</sup> ipse ] Datames.

<sup>2</sup> barbaque erat promissa ] Diuersa lectio promissa & prolixia, ut in Virg. Ecloga VIII, 34. Visitatus tamen promissa. quod & Bosius & Courtinus receperunt. Caesar Gall. V. 14 capillo sunt promissa. Liuius II. 23 promissa barba & capilli efferauerant speciem oris. Plin. VII. epist. 27 senex promissa barba, horrenti capillo. Tacitus annal. II. 29 donec crinem barbamque promitteret. C.

<sup>3</sup> quam ] qualiter vel cuius generis.

bat,

bat, <sup>4</sup> ut si feram bestiam captam duceret: Quem cum omnes prospicerent propter nouitatem ornatius, ignotamque formam, ob eamque rem magnus esset concursus, fuit non nemo, qui agnosceret Thyum, regique nuntiaret. Primo <sup>4</sup> non <sup>5</sup> accredidit. Itaque Pharnabazum misit <sup>6</sup> exploratum: a quo <sup>7</sup> ut rem gestam comperit, statim admitti iussit, magnopere delectatus cum <sup>8</sup> facto, tum ornatu: in primis quod <sup>2</sup> nobilis <sup>5</sup> rex in potestatem inopinanti venerat. Itaque magnifice Datamem donatum ad exercitum misit: qui tum contrahebatur <sup>10</sup> duce <sup>11</sup> Pharnabazo & Tithrauste ad <sup>12</sup> bellum Aegyptium, <sup>13</sup> parique <sup>14</sup> eum, atque <sup>15</sup> illos imperio esse iussit. Postea vero quam Pharnabazum rex reuocauit, <sup>16</sup> illi <sup>17</sup> summa imperii tradita est.

**IV** Hic cum maximo studio compararet exerci-

<sup>4</sup> ut si ] gleich als, wenn.

<sup>5</sup> primo non accredidit ] idem quod credidit. Plautus Asin. III. 3.27 quisnam istuc accreditat tibi? Lucretius III. 869 facile hoc accredere possit. C.

<sup>6</sup> exploratum ] ad. <sup>7</sup> ut ] nachdem.

<sup>8</sup> facto ] in.

<sup>9</sup> quod nobilis rex ] Thyus, siue Thys, quem modo dynasten Paphlagoniae vocauerat. Hunc etiam Athenaeus IV. 10, p. 144 appellat Παρλαγόνων βασιλέα. C.

<sup>10</sup> duce ] sub.

<sup>11</sup> Pharnabazo & Tithrauste ] nobilissimis satraparum, & antea quoque rei bellicae praefectis. vide Conone c. 2. & 3. C.

<sup>12</sup> ab bellum Aegyptium ] de quo in Chabria & Iphicrate diarium. C.

<sup>13</sup> parique imperio ] in. <sup>14</sup> eum ] Datamem.

<sup>15</sup> illos ] Pharnabazum & Tithraustem.

<sup>16</sup> illi ] Datami. <sup>17</sup> summa ] res s. dignitas.

tum,

tum, <sup>1</sup> Aegyptumque proficisci pararet, subito a  
<sup>2</sup> rege litterae sunt ei missae, <sup>3</sup> ut Aspim adgredere-  
tur, qui <sup>3</sup> Cataoniam tenebat, quae gens iacet  
supra Ciliciam, confinis Cappadociae. nam- <sup>2</sup>  
que Aspis saltuosam regionem, <sup>4</sup> castellisque mu-  
nitam incolens, non solum imperio regis non  
parebat, sed etiam finitimas regiones <sup>5</sup> vexabat,  
& <sup>6</sup> quae regi portarentur, abripiet. Datames,  
etsi longe aberat ab his regionibus, & a maiore  
re abstrahebatur, tamen regis voluntati <sup>7</sup> morem  
gerendum putauit. Itaque cum paucis, sed viris <sup>3</sup>  
fortibus nauem <sup>8</sup> concendit, existimans id, quod  
accidit, facilius se <sup>8</sup> imprudentem <sup>9</sup> parua manu  
oppressurum, quam paratum, quamvis magno  
exercitu. <sup>10</sup> Hac delatus in <sup>11</sup> Ciliciam, eges- <sup>4</sup>  
sus inde, <sup>12</sup> dies noctesque iter faciens, <sup>13</sup> Tau-

Cap. IV. <sup>1</sup> Aegyptumque ] i.e. in.

<sup>2</sup> rege ] Persarum.

<sup>3</sup> Cataoniam ] Cataoniae regio inter Taurum, Antitau-  
rum & Amanum. Strab. vid. Tab. III. C.

<sup>4</sup> castellis munitam ] Montana circa Ciliciam munitissima castellis. Cicero epist. ad Caton. XV. 4 de Ama-  
niensi expeditione: *castella sex capta; plura incendimus. C.*

<sup>5</sup> vexabat ] vastabat hostiliter agendo. Idem epist. II.  
<sup>10</sup> cum meis copiis omnibus vexavi Amanienses, hostes sempi-  
ternos. Noster c 10. n. 2 regis prouinciam vexat. C.

<sup>6</sup> quae portarentur ] was dem könige von seinen einkünf-  
ten abgetragen wurde.

<sup>7</sup> morem gerendum ] obediendum esse.

<sup>8</sup> imprudentem ] Aspim. <sup>9</sup> parua ] cum.

<sup>10</sup> hic ] in naue.

<sup>11</sup> delatus in Ciliciam ] ex Ace, Phoeniciae portu, ubi  
exercitus contra Aegyptios parabatur. Ciliciam & Tau-  
rum montem transgressus venit demum in Cataoniam. C.

<sup>12</sup> dies ] per.

<sup>13</sup> Taurum ] montem Asiae minoris. vid. Tab. III.

rum

rum transiit, eoque, quo studuerat, venit: quae-  
rit quibus<sup>14</sup> locis sit Aspis: cognoscit, haud lon-  
ge abesse, profectumque eum venatum,<sup>15</sup> quem  
dum<sup>16</sup> speculatur, aduentus eius caussa cogno-  
scitur.<sup>17</sup> Pisidas cum iis, quos secum habebat,  
**5** ad resistendum Aspis comparat. Id! Datames  
<sup>18</sup> ubi audiuit, arma sumit, suosque sequi iubet,  
ipse<sup>19</sup> equo concitato ad hostem<sup>20</sup> vehitur,  
quem procul Aspis conspiciens ad se<sup>21</sup> ferentem,  
pertimescit, atque a conatu resistendi deterritus,  
sese dedit. Hunc Datames vincitum ad regem  
ducendum tradit<sup>22</sup> Mithridati.

**V** Haec dum geruntur, Artaxerxes reminiscens,  
a quanto bello, ad quam paruam rem<sup>1</sup> princi-  
pem ducum misisset; seipse reprehendit, & nun-  
tium ad exercitum<sup>2</sup> Acen misit, quod nondum  
Datamem profectum putabat, quidiceret, ne ab

<sup>14</sup> locis ] in.      <sup>15</sup> quem ] Aspim.

<sup>16</sup> speculatur ] Datames.

<sup>17</sup> Pisidas ] incolas Pisidiae prouinciae meridionalis  
Asiae minoris. vid. Tab. III.

<sup>18</sup> ubi ] nachdem.

<sup>19</sup> equo concitato ] calcaribus ad celerius currendum  
incitato, er gab dem pferde die sporen.

<sup>20</sup> vehitur ] Vehi equo, curru, naue &c. notat proficisci.

<sup>21</sup> ad se ferentem ] actuum hoc passiu explicandum  
est, pro ad se ferri.

<sup>22</sup> Mithridati ] filio Ariobarzanis satrapae. cap. 10. n. 1. C.  
Cap. V. <sup>1</sup> principem ducem ] primarium.

<sup>2</sup> Acen misit ] hoc est Ptolemaidem, Phoeniciae aut  
Palaestinae urbem, portu instructam. Plinius in Phoe-  
niciae descriptione V. 9. Ptolomaio, quae quondam Ace.  
Strabo XVI. p. 521 litus Phoenicum enarrans post Ty-  
rnum & Palaetyrum, αἴθ' οὐ Πτολεμαῖς εἰσι, μεγάλη πό-  
λις, ἡν "Ακρυ φίρμαζεο πρότερον. C.

exercitu



exercitu discederet. <sup>3</sup> Hic, priusquam perueniret, quo erat profectus, in itinere <sup>4</sup> convenit, qui Aspim ducebant. <sup>5</sup> Qua celeritate cum magnam <sup>2</sup> benevolentiam <sup>6</sup> regis Datames consecutus esset, non minorem inuidiam aulicorum <sup>7</sup> excepit, qui illum unum pluris, quam se omnes, fieri videbant. <sup>8</sup> quo facto cuncti ad eum opprimendum consenserunt. Haec Pandates, <sup>9</sup> gazae custos <sup>3</sup> regiae, amicus <sup>10</sup> Datami, perscripta ei mittit. in <sup>11</sup> quibus ducet: <sup>12</sup> eum <sup>13</sup> magno fore periculo, si quid <sup>14</sup> illo imperante in Agypto aduersi accidisset. namque eam esse consuetudinem regum, ut casus aduersos hominibus tribuant, secundos fortunae suae. <sup>15</sup> quo facile fieri, ut impellantur ad eorum perniciem, <sup>16</sup> quorum ductu res male gestae nuntientur. <sup>17</sup> illum <sup>18</sup> hoc maiore fore in discrimine, quod, quibus rex maxime obediatur, eos habeat inimicissimos. Talibus ille literis cognitis, cum iam ad exercitum Acen venisset, quod nouigorabat, ea vere scripta, desciscere a rege constituit. neque tamen quicquam fecit, quod fide

<sup>3</sup> hic] nuntius.

<sup>4</sup> conuenit] scil. eos, qui &c.

<sup>5</sup> qua] ex.

<sup>6</sup> regis] Artaxerxis.

<sup>7</sup> inuidiam excepit] er hat sich hasß und neid auf den hals gezogen.

<sup>8</sup> quo] ex. <sup>9</sup> gazae] der schatzkammer.

<sup>10</sup> Datami] scil. factus.

<sup>11</sup> quibus] literis perscriptis.

<sup>12</sup> eum] Datamen. <sup>13</sup> magno] in.

<sup>14</sup> illo] sub. <sup>15</sup> quo] ex.

<sup>16</sup> quorum ductu] sub. <sup>17</sup> illum] sc. Datamem.

<sup>18</sup> hoc maiore] pro eo maiore. Tursellinus de partic.

C. 78. II. 4. 5.

sua

sua esset indignum. Nam Mandroclem<sup>19</sup> Magnetem exercitui praefecit: ipse cum suis in<sup>20</sup> Cappadociam discedit; coniunctamque huic<sup>21</sup> Paphlagoniam occupat; celans,<sup>22</sup> qua voluntate esset<sup>23</sup> in regem; clam cum<sup>24</sup> Ariobarzane facit amicitiam,<sup>25</sup> manum comparat, vrbes munitas suis tuendas tradit.

**VI** Sed haec propter hiemale tempus minus prosperae predebat. Audit, <sup>1</sup> Pisidas quasdam copias aduersus se parare. filium eo Arsideum cum exercitu mittit. cadit in puelio adolescentis, proficiscitur eo pater, non ita cum magna manu, ce'ans quantum<sup>2</sup> vulnus accepisset, quod prius ad hostem peruenire cupiebat, quam de remale gesta fama ad suos perueniret: ne<sup>3</sup> cognita filii morte animi debilitarentur militum. Quo<sup>4</sup>

<sup>19</sup> Magnetem ] ex Magnesia urbe oriundum. Incertum tamen ex qua, duae enim in Lydia urbes erant huius nominis, ut adparet ex Cellarii Geograph. min. c. 17. p. 160.

<sup>20</sup> Cappadociam ] prouinciam orientalem in Asia minore. vid. Tab. III.

<sup>21</sup> Paphlagoniam occupat ] vacuam iam, ex quo Thyus, rex eius, captus fuerat. C.

<sup>22</sup> qua voluntate ] instructus esset, wie er gesinnet sey.  
<sup>23</sup> in ] erga.

<sup>24</sup> Ariobarzane ] Phrygiae quondam & Lydiae praefecto, sed qui pridem ab rege defecerat, regno cuiusdam Mithridatis in ipsis locis occupato. Diodor. XV. 90. Noster supra c. 2 n.s. C.

<sup>25</sup> manum ] exercitum, copias.

Cap. VI. <sup>1</sup> Pisidas ] incolas Pisidiae prouinciae meridionalis in Asia minore. vid. Tab. III.

<sup>2</sup> vulnus accepisset ] supra Dion. cap. 6 expositum. C.

<sup>3</sup> cognita ] ex.

<sup>4</sup> contenderat ] wohin er sich bemühte.

contenderat,

contenderat, peruenit, <sup>5</sup> hisque locis castra ponit, ut neque circuiri <sup>6</sup> multitudine aduersariorum posset, neque impediri, quo minus ad dimicandum <sup>7</sup> manum haberet expeditam. Erat cum eo Mithrobarzanes sacer eius, praefectus equitum. Is <sup>8</sup> desperatis generi rebus ad hostes transfugit. Id Datames <sup>9</sup> vt audiuit, sensit, si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum, futurum vt ceteri consilium sequerentur, <sup>10</sup> in vulgus edit: <sup>11</sup> suo iussu Mithrobarzanem <sup>4</sup> profectum properfuga, quo facilius receptus interficeret hostes. quare relinquì eum non par esse, sed omnes confessim <sup>12</sup> sequi. <sup>13</sup> quod si animo strenuo fecissent, futurum, Et aduersarii non possent resistere, cum <sup>5</sup> intra ballum & foris caederentur. Hac re probata exercitum educit, Mithrobarzanem persequitur. qui <sup>14</sup> tantum quod ad

<sup>5</sup> hisque ] in. <sup>6</sup> multitudine ] a.

<sup>7</sup> manum ] copias. trouppen.

<sup>8</sup> desperatis ] bey den händeln, die verzweifelt schliss ausfahen.

<sup>9</sup> vt ] nachdem.

<sup>10</sup> in vulgus edit ] spargit rumorem: Ceterum & Polyae-nus VII. c. 21. n. 7. & Diodorus XV. 91, & Frontinus II. 7. 9 strategema idem narrant, quamquam non contra Pisidas bello, sed posteriori Diodorus & Frontinus tribuunt, quo ab regio satrapa, Atrabazo vel Autophradate, in Cappadocia impugnabatur. C.

<sup>11</sup> suo ] ex. <sup>12</sup> sequi ] par esse.

<sup>13</sup> quod ] sc. vt fugerent ad hostem.

<sup>14</sup> qui tantum quod ad hostes ] Elegantissima formula MSti Ernstiani, quam Lambinus, Bosius, Gronouius tueruntur. Tantum quod valet simulac, vix, commodum, atque ita frequenter boni scriptores loeuti sunt. Cic. Ep. Fam. VII. 23 Tamum quod ex Arpinati veneram. Idem

hostes peruererat, Datames <sup>15</sup> signa inferri iu-  
6 bet. Pisidae <sup>16</sup> nouare commoti, in opinionem  
adducuntur, perfugas mala fide <sup>17</sup> composito-  
que fecisse, vt recepti essent <sup>18</sup> maiori calamitati,  
primum eos adoriuntur. Illi cum quid agere-  
tur, aut quare fieret, ignorarent, coacti sunt cum  
eis pugnare, ad quos transferant; <sup>19</sup> ab hisque  
stare, quos reliquerant. <sup>20</sup> quibus cum <sup>21</sup> neu-  
tri parcerent, celeriter sunt concisi. Reliquos  
Pisidas resistentes Datames inuadit: <sup>22</sup> primo  
imperu pellit, fugientes persequitur, multos in-  
terficit, castra hostium capit. <sup>23</sup> Tali consilio  
vno tempore & proditores perculit, & hostes pro-  
fligauit: & quod ad perniciem fuerat cogitatum, id  
ad salutem conuertit. <sup>24</sup> Quo neque acutius vi-  
lius imperatoris cogitatum, neque celerius fa-  
ctum vsquam legimus.

Attico XV.13 extr. Hunc cum scriberem, tantum quod existi-  
mabam orationem ad te esse perlatam. Velleius II. 117 Tan-  
tum quod vitimam imposuerat Pannonicu & Dalmatico bello  
Caesar manum, cum funestae ex Germania epistolae &c. Sue-  
tonius Aug. 63 Iuliam Marcellu, tantum quod pueritum egress-  
so, nuptum dedit. Plura huius scriptoris ibi Torrentius ob-  
seruat, cui addas velim Gronouium ad Liv.XXXIII.4. C.

<sup>15</sup> signa inferri ] aggredi hostem. signa enim inclina-  
ta s. illata in hostem denotant milites incurrentes.

<sup>16</sup> noua ] ex.

<sup>17</sup> composito que fecisse ] de industria. Terentius Phorm.  
V. I. <sup>20</sup> composito factum est. C. germ. aus einer ver-  
abredung. <sup>18</sup> maiori ] in maiorem.

<sup>19</sup> ab his ] a vel ab interdum notat locum, vbi quis  
versatur, vt ab alicuius partibus stare: & sicc. l. ab his i.e.  
in eorum loco vel parte.

<sup>20</sup> quibus ] perfugis.

<sup>21</sup> neutri ] nec Pisidae, nec Datamis copiae..

<sup>22</sup> primo ] in. <sup>23</sup> tali ] in. <sup>24</sup> quo ] prae quo Data-  
mis consilio. ab

Ab hoc tamen viro Scismas <sup>1</sup> maximo natu si-VII  
 Ius desciiit, ad regemque transit, & de defectio-  
 ne patris <sup>2</sup> detulit. <sup>3</sup> quo nuntio Artaxerxes  
 commotus, quod intelligebat sibi cum viro for-  
 ti ac strenuo negotium esse, qui, cum cogitasset,  
 facere auderet, & prius cogitare, quam conari  
 consueisset; <sup>4</sup> Autophradatem in Cappadociam  
 mittit. Hic ne intrare posset <sup>5</sup> saltum, in quo  
 Ciliciae portae sunt sitae, Datames praecippare  
 studuit. Sed tam subito copias contrahere non  
 potuit. <sup>6</sup> a qua re depulsus, cum ea <sup>7</sup> manu, <sup>3</sup>  
 quam contraxerat, locum delegit talem, ut ne-  
 que circumiretur ab hostibus, neque praeteriret  
 aduersarius, quin <sup>8</sup> ancipitibus locis premeretur;  
 & si dimicare cum <sup>9</sup> eo vellet, non multum obes-  
 se multitudo hostium suae paucitati posset.

Cap. VII. <sup>1</sup> maximo natu filius ] Eleganter pro eo,  
 quod vulgo dicitur maximus natu ut est apud Teren-  
 tiu[m] Adelph. V. 4. extr. Sic noster quoque supra, Pau-  
 san. c. 5. mater magno natu. C.

<sup>2</sup> detulit ] vangebracht, vorgetragen. <sup>3</sup> quo ] ex.

<sup>4</sup> Autophradatem ] Hic iussu regis bello eos persequen-  
 batur, qui defecerant, supra c. 2. n. 1. Idem nomen etiam  
 Polyaenus habet lib. VII. c. 14. & 27, & Frontinus II. 9. C.

<sup>5</sup> saltum, in quo Ciliciae portae ] Plures portae Ciliciae,  
 siue asperi tres aditus & per angusti, quorum una Cilicia intran-  
 da est, ut Curtius ait III, 4, 7. Heic septentrionales por-  
 tæ, quibus ex Cilicia in Cappadociam transitur, intelli-  
 guntur, quia Autophradates in Cappadociam missus di-  
 citur, utpote quam regionem una cum Paphlagonia te-  
 nebat Datames. C.

<sup>6</sup> a qua re depulsus ] a cuius rei opportunitate impedi-  
 tus, erward von seinem vortheil vertrieben. ab hat re depulsus

<sup>7</sup> manu ] copiis. ~~Ob viro domum nunc proponit agit~~

<sup>8</sup> ancipitibus locis ] a fronte & a tergo. ~~Uigilans misericordia~~

<sup>9</sup> eo ] Autophradate, ~~grau~~.

VIII Haec et si Autophradates videbat, tamen <sup>1</sup> sta-  
tuit <sup>2</sup> congregari, quam cum tantis copiis refugere,  
aut tam diu <sup>3</sup> uno loco sedere. Habebat barba-  
gorum equitum viginti, peditum centum millia,  
quos illi <sup>4</sup> Cardacas appellant. eiusdemque ge-  
neris <sup>5</sup> III. funditorum. Praeterea Cappado-  
cum octo, Armeniorum decem, Paphlagonum  
quinque, Phrygum decem, Lydorum quinque,  
<sup>6</sup> Aspendiorum & Pisidarum circiter tria, Cili-  
cum duo <sup>7</sup> Caspianorum totidem, ex Graecia  
<sup>8</sup> conductorum tria millia: <sup>9</sup> leuis armaturae  
<sup>3</sup> maximum numerum. Has aduersus copias spes  
omnis consistebat Datami in se locique natura.

Cap. I. <sup>1</sup> statuit ] subaudi: potius, quam.

<sup>2</sup> concredi ] cum Datame pugnare. <sup>3</sup> uno ] in.

<sup>4</sup> Cardacas ] Vulgo Gardates monstrose: Brissonius &  
Schottus Gardatas restituerunt, qui genus militum Persi-  
corum sunt, quos memorauere Polybius V. c. 79. Arria-  
nus Exped. Alex. II. p. 100; Vbi de moribus Persarum  
Strabo agit XV f. 504. quosdam ait a pueritia adsue-  
fieri, ut aestum, frigus perferant, flumen traiciant armis  
non madefactis, in agro pernoctent, & silvestri fructu  
vescantur. Addit, καλλιται δ' οτοι Καρδανες, απὸ κλο-  
νιας τρεφόμενοι. καρδα γαρ τὸ αἰδερωδὲς καὶ πολεμι-  
κὸν λέγεται. Vocantur hi Carduces, qui ex furto se alunt:  
Carda enim virile & bellicum dicitur. C.

<sup>5</sup> III. funditorum ] supple millia ex communi. C.

<sup>6</sup> Aspendiorum ] Aspendus nobilis vrbis Pamphiliae ad  
Eurymedontem fluuium. C.

<sup>7</sup> Caspianorum totidem ] Vulgo Captianorum, quam gen-  
tem ignorant geographi. Andr. Schottus primum su-  
spicatus est Caspianorum legendum esse, nec male, nam  
Caspia gens ad Caspium mare, quos Caspianos Curtius vo-  
cat IV. 12. 9, & regionem illorum Strabo XI. p. 346.  
Κασπιανην. C.

<sup>8</sup> conductorum ] sc. mercede, um sold gedinget.

<sup>9</sup> leuis ] equites, die leichte reuterey.

namque

namque <sup>10</sup> huius partem non habebat vicesimam militum. <sup>11</sup> Quibus fretus conflixit, aduersariorumque multa millia concidit, cum de ipsius exercitu non amplius hominum<sup>12</sup> mille cecidisset. quam ob caussam<sup>13</sup> postero die tropaeum posuit,  
<sup>14</sup> quo loco pridie pugnatum est. Hinc cum<sup>15</sup> ca- 4  
 stra mouisset, semperque<sup>16</sup> inferior copiis,<sup>17</sup> supe-  
 rior omnibus proeliis discederet: quod nunquam  
<sup>18</sup> manum consereret, nisi cum aduersarios lo-  
 corum<sup>19</sup> angustiis clausisset; quod perito regi-  
 onum callideque cogitanti saepe accidebat; Au-  
 tophradates, cum bellum<sup>20</sup> duci<sup>21</sup> maiore regis  
 calamitate, quam aduersariorum videret; ad pa-  
 cem amicitiamque<sup>22</sup> hortatus est, ut cum rege in  
 gratiam rediret. Quam<sup>23</sup> ille et si fidam non fore 6  
 putabat, tamen conditionem accepit, seque ad  
 Artaxerxem legatos missurum dixit. Sic bel-  
 lum, quod rex aduersus Datamem susceperat, se-  
 datum.

Autophradates in<sup>1</sup> Phrygiam se recepit. At IX

<sup>10</sup> huius ] Autophradatis. <sup>11</sup> quibus ] in.

<sup>12</sup> hominum mille ] Vide notata ad Miltiad. c. 5. n. 1.  
 Adde ex Cicer. Philipp. VI. c. 5. mille nummum. C.

<sup>13</sup> postero ] in. <sup>14</sup> quo loco ] pro eo loco, quo.

<sup>15</sup> castra mouisset ] das lager aufgehoben.

<sup>16</sup> inferior copiis ] pauciores habens copias.

<sup>17</sup> superior proeliis ] vincens in proeliis.

<sup>18</sup> manum consereret ] zum handgemenge kam.

<sup>19</sup> angustiis ] in.

<sup>20</sup> duci ] trahi, prolongari. Dictum ad Alcibiad. c. 8. C.

<sup>21</sup> maiore ] cum. <sup>22</sup> hortatus ] Datamem;

<sup>23</sup> ille ] Datames.

Cap. IX. <sup>1</sup> in Phrygiam se recepit ] Ex hoc apparet Phrygiam, quae adhuc in potestate Ariobarzanis rebelis fuerat, rursus satrapiam factam, deferente forte illam

rex, quod implacabile odium<sup>2</sup> in Datamem suscepérat, postquam<sup>3</sup> bello eo opprimi non posse & animaduertit, infidiis interficere studuit. quas ille plerasque vitauit. <sup>5</sup> sicut cum nuntiatum esset, quosdam sibi insidiari, qui in amicorum erant numero: de quibus, <sup>6</sup> quod inimici detulerant, neque credendum, neque negligendum putauit: experiri voluit, verum falsumne esset <sup>3</sup> relatum. Itaque eo profectus est, <sup>8</sup> quo <sup>9</sup> itinere futuras infidias dixerant. Sed <sup>10</sup> elegit corpore & statura simillimum sui, eique vestitum suum dedit, atque <sup>11</sup> eo <sup>12</sup> loco ire, <sup>13</sup> quo ipse <sup>14</sup> consueuerat, iussit. <sup>15</sup> Ipse autem ornatus vestitu militari inter corporis custodes iter facere coepit. <sup>4</sup> At insidiatores, postquam in eum locum agmen peruenit, decepti, <sup>16</sup> ordine atque vestitu, in eum faciunt impetum, qui <sup>17</sup> suppositus erat. Praedixerat autem his Datames, cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere, <sup>18</sup> quod ipsum vidis-

Ariobarzane, cum Mithridatis regnum occupauit. Diador. XV. 90. Noster supra c. 2. n. 5. C.

<sup>2</sup> in] contra. <sup>3</sup> bella] in. <sup>4</sup> ille] Datames.

<sup>5</sup> sicut] fecit. <sup>6</sup> quod] dieveil.

<sup>7</sup> detulerant] es vorgebracht hatten.

<sup>8</sup> quo] in. <sup>9</sup> itinere] via.

<sup>10</sup> elegit corpore & statura simillimum] Eodem modo factum narrat Polyaenus lib. VII. 21. p. 4. C.

<sup>11</sup> eo] in. <sup>12</sup> loco] stelle. <sup>13</sup> quo] in.

<sup>14</sup> consueuerat] ire. <sup>15</sup> ipse] Datames.

<sup>16</sup> ordine] ab.

<sup>17</sup> qui suppositus erat] untergeschoben. Ex hac notione suppositius est. Cicero similiter Verrina ultima c. 27. ab isto actum esse, ut ille suppositus facile & libenter se illum, qui non erat, esse simularet. C.

<sup>18</sup> quod] facere.

sent.

sent. Ipse, ut concurrentes insidiatores animad- 5  
vertit, tela in eos coniecit. hoc idem cum vniuersi  
fecissent, priusquam peruenirent ad eum, quem  
adgredi volebant, confixi ceciderunt.

Hic tamen tam callidus vir <sup>1</sup> extremo tempo- X  
re captus est, <sup>2</sup> Mithridatis Ariobarzanis filii <sup>3</sup> do-  
lo: namque is pollicitus est <sup>4</sup> regi, se <sup>5</sup> eum inter-  
fектurum, si <sup>6</sup> ei rex promitteret, vt, quodcunque  
vellet, liceret impune facere: fidemque de ea re,  
<sup>7</sup> more Persarum, dextra dedisset. Hanc vt ac- 2  
cepit, <sup>8</sup> simulat se suscepisse cum rege inimici-  
tias: copias parat, & absens amicitiam cum Da-  
tame facit, regis prouinciam <sup>9</sup> vexat, castella ex-  
pugnat, magnas praedas capit: quarum partem  
suis dispertit, partem ad Datamem mittit, <sup>10</sup> pari  
modo complura castella ei tradit. Haec diu fa- 3  
ciendo, persuasit <sup>11</sup> homini, <sup>12</sup> se <sup>13</sup> infinitum  
aduersus regem suscepisse bellum; cum nihilo

Cap. X. <sup>1</sup> extremo ] m.

<sup>2</sup> Mithridatis Ariobarzanis filii ] filii Mithridatis men-  
tio facta cap. 4. extremo: patris Ariobarzanis saepe;  
imprimis extremo c. 2. C.

<sup>3</sup> dolo ] in. • <sup>4</sup> regi ] Artaxerxi.

<sup>5</sup> eum ] Datamem. <sup>6</sup> ei ] Mithridati.

<sup>7</sup> fidem more Persarum dextra ] Tum omnium gentium  
dextra fidei signum & firmamentum est (vide ad The-  
mistoclem dicta c. 8. n. 4) tum praecipue Persarum.  
Curtius VI. 4, 14 Nec dubitanit Alexander fidem, quo Persae  
modo accipiebant, dare. Adde ibi a nobis notata ex Dio-  
dor. XVI. 43. C.

<sup>8</sup> simulat ] Mithridates.

<sup>9</sup> vexat ] plaget. vid. ad Cap. IV. not. 5.

<sup>10</sup> pari ] in. <sup>11</sup> homini ] Datami.

<sup>12</sup> se ] Mithridatem.

<sup>13</sup> infinitum ] magnum & diuturnum.

magis, ne<sup>14</sup> quam suspicionem illi praebet insidiarum, neque colloquium<sup>15</sup> eius petiuit, neque in conspectum venire studuit. Sic absens amicitiam gerebat, ut non<sup>16</sup> beneficiis mutuis, sed odio communis, quod<sup>17</sup> erga regem suscepserant, contineri viderentur.

## XI

<sup>1</sup> Id cum satis se<sup>2</sup> confirmasse arbitratus est, certiorem facit Datamem, tempus esse maiores exercitus<sup>3</sup> parari, bellum cum ipso rege suscipi. de qua re, si ei sideretur,<sup>4</sup> quo loco bellet, in colloquium seniret. <sup>5</sup> Probata re, colloquendi temporis sumitur, locusque quo conueniretur. Huc Mithridates cum uno cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies venit,<sup>6</sup> compluribusque locis<sup>7</sup> separatim gladios obruit, eaque loca diligenter<sup>8</sup> notat. <sup>9</sup> Ipso autem colloquendi die,

<sup>14</sup> quam] aliquam.

<sup>15</sup> eius] Datamis.

<sup>16</sup> beneficis] ex.

<sup>17</sup> erga regem] Erga hoc loco est aduersus, contra. Saepe enim nostro Erga in malam partem, praeter vulgarem consuetudinem, acceptum est. Hamilcare extremo, perpetuum odium erga Romanos. Hannibale c. i. n. 3 odium paternum erga Romanos. Alcibiadē n. 4 crudelitate erga nobiles.

Cap. XI. <sup>1</sup> id] Mithridatem esse amicum Datami, inimicum Artaxerxi.

<sup>2</sup> confirmasse] Datami probasse & persuassisse.

<sup>3</sup> parari, suscipi] per graecismum infinitinus ponitur pro gerundio, pro parandi, suscipiendo.

<sup>4</sup> quo] in. <sup>5</sup> probata] adprobata a Datame.

<sup>6</sup> compluribusque] in.

<sup>7</sup> separatim gladios obruit] Polyaenus VII. 29 in agro prorabat noctu multos gladioles, occultatos hic & illic. C.

<sup>8</sup> notat] notis quibusdam signat. Polyaenus, ἐπίκειτο σημεῖον. C.

<sup>9</sup> ipso] in.

<sup>10</sup> utriusque,

<sup>10</sup> utriusque, locum qui explorarent, atque ipsos  
scrutarentur, mittunt. Deinde ipsi sunt con-  
gressi. Hic cum aliquandiu in colloquio fuis-  
sent, & <sup>11</sup> diuersi discessissent, iamque procul Da-  
tames abesset, Mithridates, priusquam ad suos  
perueniret, ne quam suspicionem <sup>12</sup> pareret, in  
eundem locum reuertitur, atque ibi, ubi <sup>13</sup> telum  
erat impositum, resedit, <sup>14</sup> ut si <sup>15</sup> a lassitudine  
cuperet adquiescere: Datamemque reuocauit,  
simulans se quiddam in colloquio esse oblitum.  
Interim telum, quod latebat, protulit: nuda- <sup>4</sup>  
tumque vagina veste texit, ac Datami venienti ait,  
digredientem se animaduertisse, locum quen-  
dam, qui erat in conspectu, ad castra ponenda  
esse idoneum. quem cum digito <sup>16</sup> monstraret, <sup>5</sup>  
& <sup>17</sup> ille consiperet, <sup>18</sup> auersum ferro transfixit:  
priusque quam quisquam posset succurrere, in-  
terfecit. Ita vir, qui multos consilio, <sup>19</sup> nem-

<sup>10</sup> utriusque ] Mithridates & Datames.

<sup>11</sup> diuersi ] in diuersa loca. Mithridates huc, Datames  
illuc. Virgilius Æn. V. v. 166 Qui diuersus abis? & lib. I.  
v. 69. submersas obrue puppes,

Aut age diuersas. C.

<sup>12</sup> pareret ] einen argwohn erwekkete.

<sup>13</sup> telum ] gladius sive pugio, ut ex n. 4. adparet. Nam  
telum vox generale est. <sup>14</sup> ut si ] als wenn.

<sup>15</sup> a lassitudine cuperet adquiescere ] Iungitur quiescendi  
verbum cum Avel Ex. Cicero pro Mil. c. 25. urbs ab  
armis conquietura. Pro Balbo c. 1 a continuis bellis &  
victoriis conquieuit. Idem Attico 1. 5 ex omnibus molestis &  
laboribus uno illo in loco conquiescimus. C.

<sup>16</sup> monstraret ] Mithridates. <sup>17</sup> ille ] Datames.

<sup>18</sup> auersum ] von hinten zu.

<sup>19</sup> neminem perfidia ceperat ] Sed perfide factum. cum  
fabris, quos simulato foedere a Sinopensibus acceperat,

nem perfidia ceperat, <sup>20</sup> simulata captus est amicitia.

& contra ipsorum urbem usus est. Polyaeenus lib. VII.

21. n. 2. C.

<sup>20</sup> simulata] a.

## XV.

### EPAMINONDAS.

#### ARGUMENTVM.

1. In Epaminondae historia nihil consuetudinis Graecae praetermittendum. 2. puer musicen dicit & philosophiam: ephes palaestrae operam dat. 3. Animi in eo virtutes multae, praesertim studium audiendi, paupertatis patientia, in amicos liberalitas. 4. Abstinentia eius frustra Persico legato tentata. 5. Eloquentia arguta contra Meneclidem, 6. & contra Callistratum Atheniensem: maxime contra Spartanos. 7. Ferre & obliuisci iniurias doctus, plebiscitis obtemperat, nisi aliud communis salus postulet. 8. ob id accusatus, poenam subiturus erat, si vera mortis caussa scriberetur. 9. Imperator ad Mantineam iniustus moritur. 10. Coelibatus criminationem acute diluit: abhorret a civili victoria. Cum hoc Thebarum gloria orta fuit: cum hoc intercidit.

I E Pamnondas Polymni filius, Thebanus. De hoc priusquam scribam, haec <sup>1</sup> praecipienda videntur lectoribus, ne <sup>2</sup> alienos mores ad suis referant; neve ea, quae ipsis leuiora sunt, <sup>3</sup> pari modo apud ceteros <sup>4</sup> fuisse arbitrentur.  
2 Scimus enim, <sup>5</sup> musicen <sup>6</sup> nostris moribus abesse

Cap. XV. <sup>1</sup> haec praecipienda] docenda, rationibus explananda, quo differt ab imperandi verbo. C.

<sup>2</sup> ad suis referant] gegen ihre sitten vergleichen.

<sup>3</sup> pari] in. <sup>4</sup> fuisse] sc. leuia.

<sup>5</sup> musicen nostris moribus abesse] antiquis temporibus, non posterioribus. Macrobius Saturn. II. 10 Catoni iam cantare non seris hominis videtur. C.

a principis